

stitum tantum ouium incedebant, intus *erant lupi rapaces*, Matth. VII, 15. erant *hypocritae*, similes *sepulchris dealbatis*, c. h. v. 27. verbo, omnia faciebant *πρὸς τὸ θεαθῆναι* v. s. id est, externae honestati studebant, non quidem praecise omnes eo fine, eo animo, vt saltim *viderentur*, nam multos Phariseorum fuisse *ζηλωτὰς τῆς θεῆς* ex Act. XXII, 3. & Galat. I, 4. discimus, sed, vt obseruat SCHMIDIVS, quod non alium fructum operum suorum perceperint, quam, quod ab hominibus viderentur, ita, vt Seruator non tam ad intentionem Phariseorum, opera quaedam facientium, sed euentum, & consequens, quod Phariseos manebat, habuerit respectum. Haec enim erat illa merces, quam accipere Phariseos, testabatur toties Seruator, Matth. VI. & alibi passim.

§. X. Quodsi quis nomine *ἔργων* non modo opera vitae, sed & falsas scripturae interpretationes, traditionesque Phariseorum intelligere velit, non morose refragabimur. Nec enim insolitum est scriptoribus, id vocare *ἔργον*, quod de facto fit, quum aliter de iure fieri debuisset. Et sic *ἐμφατικῶς* eorum *αὐτῶν* opera dicentur, quippe quae non ex Mose deprompta, sed ex proprio Phariseorum & maiorum ingeniis conficta fuerunt. Neque enim negari potest, Phariseos non modo male vixisse, sed etiam ex parte minus recte docuisse. Quam enim perperam legem fuerint interpretati, hoc ipso Cap. & V. Matth. docet Seruator. Moses nihil sibi *detrahi*, sed nihil etiam *addi* voluit; Pharisei nihil quidem Mosis, praeter mentem quandoque geruinam, *detrabebant*, syntagma tamen suarum traditionum *assuebant*: Moses iustitiam *alienam*; Pharisei *propriam* commendabant: Moses *legem*, diuinitus acceptam, *tradidit*, vt esset ad Christum paedagogus; Pharisei, fidei tantum non obliti, onera *δυσβάστακτα*, id est, non tantum *diffici-*